





1785, 3  
4

DE  
CAESAREO IVRE  
LITTERAS PANICALES  
CONCEDENDI

BREVITER DISSERIT  
IVSTVS CHRISTIANVS LVD. DE SCHELLWITZ D.



---

IENAE  
LITTERIS STRAVSSII.  
c1900CLXXXV.



DE  
CASSARIVRE  
LITTERAS PANICALE  
VON EBERH  
BREVIA P  
IN CHRISTI AID F





§. I.

**P**raestantissimis Ictis, qui de Imperatoris iure, litteras alimoniales dandi, libellos confecerunt, et haud ita pridem a me nominati sunt, a) paullo post ANONYMVS quidam b) et Vir excell. CAROLVS BONELLI c), iuris publici Austriaci professor in academia Vindobonensi, socios se adiunxerunt. Illius scriptum nondum videre licuit, at huius V. C. opus non sine magna voluptate perlegi, dum nonnulla documenta et conclusa senatus imperialis aulici inedita, partim integra, partim quoad passus concernentes, continet, atque omnia diligenter et docte elaborata sunt. Quia vero praecipuae quaestiones, mea ex sententia, aliter decidi debuissent, annotationes in hunc librum concepi, quas deinde emendavi et iam lectorum iudicio submitto. Ceterum adhuc monendum est, me omnia, quae perill. IO. IAC. DE MOSER d) de quaestioni-

A 2


a) in progr. de Dominorum terriv. iure litteras vitalitii concedendi mense Sept. a. praet. edito §. 2. not. F).

b) Titulus libelli hic esse perhibetur: Das Recht der Brodbriefe und der ersten Bitte ist ein Reservat des Kaisers, begründet in einem alten Reichsherkommen, beschaffen, wie andere aus des Kaisers Machtvollkommenheit verfließende Vorrechte, erörtern in dem R. und in dem W. Frieden, anwendbar bey vn- und mittelba-

ren Stiftern, Klöstern, und allen vbrigen geistl. Stiftungen, vereinbart mit dem heutigen Gebrauch, und mit den verschiedenen Meynungen eines Brand, Schneid und Spitzler. 1784. 4.

c) Inscriptio operis ita se habet: Abhandl. von dem Kaiserl. Rechte, Pambriefe zu ertheilen. Wien 1784. 4.

d) in responso, quod extat in iff. IO. AVG. REYSS. Teutschen Staatskanzley Tom. II. pag. 197. sq.



stionibus in hac commentatione pertractandis pro more suo, hoc est egregie, disputauit, et iuris publici periti iam dudum auide legerunt, si comode fieri potest, prorsus omittere, aut breuiter solum commemorare velle.

§. II.

Excell. BONELLI e) iis adfertur, qui ius, f) de quo iam sermo est, supremo imperii capiti 1) tanquam Imperatori Romano, 2) supremo ecclesiae christ. aduocato, 3) vi imperii ciuilib (Kaiserl. Oberkeit, Gerechtigkeit) et 4) obseruantiae vniuersalis antiquae tribuunt. Ad quam opinionem probandam V. G. praeter litteras vitalitii caesareae, in quibus ista fundamenta mox pro parte solum, mox omnia simul adducuntur, ne vnicum quidem documentum protulit. Credit autem V. Doctiss. quod litterae hypostaticae caesarae id, quod inde deduci vult, plenissime probarent, siquidem tales formulae inania verba non essent, et contrarium eius, quod documenta continent, assumi non deberet, quia alias vnus cuius que tabulae vis probandi facili negotio infringi posset.

§. III.

At litterae panicae caesarae aduersariis non profunt. Nam regula, quod in documentis obuia clausulae pro verbis inanibus haberi non debeant, tunc, si de illo tabularum genere, ad quod praefens pertinet, sufficienter probatum est, in iisdem saepissime formulas non solum falsas, sed etiam inanes occurrere, prout omnes vident, exceptionem patitur. Iam dudum autem generatim diplomata caesarea in causis gratiae, quibus litterae panis accenseri debent, falsis et plane inutilibus clausulis referta esse, plenissime demonstratum est f). Nec indistincte asserere potes, contrarium eius, quod documenta continent, haud assumendum esse. In regula quidem tabularum tenori, quia pro illis praesumptio veritatis militat, standum est, at quoties id, quod paulo ante dixi,

de

e) loc. coll. §. 7—12.

loc. all. pag. 207. et alleg. meum

f) perill. 10. IAC. de MOSER progr. §. 8. pag. 10. 19.

de certo aliquo diplomatum genere satis superque ostensum est, omnia alia statuenda sunt.

§. IV.

Iam de quaestione, *utrum aulae caesareae omnibus in imperio R. G. suis monasteriis immediatis personae cuiusdam laicae sustentationem iniungere liceat?* facile iudicare possumus. Excell. BONELLI etiam hoc in argumento iura caesarea strenue defendit, dum 1) Imperatores in litteris vitalitii hoc ius nullis terminis circumseripsissent g), 2) in §. II. nominata tria posteriora fundamenta generalia essent, et ad omnia coenobia aliaque pia corpora pertinerent h), et 3) ius, de quo iam loquimur, in legibus imperii scriptis nec ad certa monasteria, nec alia ratione restrictum esset i).

§. V.

Haec vero argumenta me non conuincunt. Nam 1) ex eo, quod cancellariae imperialis aulicae officiales in litteris hypostatice caesareis Imperatori ius nostrum in omnibus coenobiis tribuerint et adhuc tribuant, concludi nequit, illud ipsi reuera competere (§. III.). Nec 2) assertum, quod in §. II. adducta tria posteriora huius iuris fundamenta generalia essent, vllam dissentientibus praestat utilitatem, siquidem nondum est probatum, ius illud ex hisce fontibus fluere (§. III.). Multo minus 3) praesens ius reseruatam caesareum ea ex ratione, quia in LI. imperii scriptis ad certa monasteria restrictum non est, ad reseruata illimitata referre, ideoque illud ad omnia coenobia immediata extendere licet. Vnicum enim istius fundamentum est obseruantia, dum leges scriptae nullam illius mentionem faciunt. Quae autem ex obseruantia vnice deducuntur iura imperatoris reseruata, aut, prout

A 3

alii

g) loc. all. §. 13.

i) loc. all. §. 24.

h) loc. all. §. 14.



alii dicunt *k*), regalia maiora, vltra huius limites extendi non possunt.

§. VI.

Cum perill. 10. IAC. DE MOSER *l*) communem fere antiquorum letorum opinionem, quod omnia immediata monasteria a Caesarea Maiestate praesentatis praebendis laicalibus ad dies vitae victum et amictum praestare tenerentur, impugnaverit et localem obseruantiam vnicum huius iuris fundamentum esse, multis et grauibus argumentis docuerit, Exc. BONELLI contrarium ostendere studeuit. Quem in finem praecipue ex actis adduxit, quod quidem nonnulla coenobia ea ex ratione, quia nunquam tales homines aduissent, eorundem receptionem denegassent, ac consilium imperiale aulicum hanc exceptionem reiecit *m*). Vt specioso huic argumento adhuc maior concilietur vis, V. C. ex actis narravit, quod Augustissimi semper credidissent, ipsis hoc ius in omnibus et speciatim quoque in illis monasteriis competere, quae nunquam eiusmodi homines receperunt *n*).

§. VII.

At ex allatis senatus imperialis aulici conclusis obseruantia vniuersalis, prout omnes, vel me non monente, vident, deduci nequit. Potest adeo omnium horum conclusorum valor in controuersiam vocari, dum regula, quod senatui imperiali aulico potestas competit, in causis iura reseruata caesarea concernentibus sententiam ferendi, ad casum obuium, vbi de eo, anne reseruata illa

*k*) perill. 10. IAC. DE MOSER *teutsch. Staatsr.* Tom. III. pag. 205. vbi simul obseruauit, in medio aeuo illa caesarea iura, quae aliquam fisco vtilitatem afferebant, nec non Imperatoris bona et reditus regalia nominata esse. Ita explicandus est ill. CHRISTIAN. GÖTTLOB BIE-  
NER *von der kaiserl. Machtvollkom-*

*menheit* §. 12. not. 3) pag. 30. ceu exemplum ab illo ipso allatum probat.

*l*) in ill. 10. AVG. REYSS. *teutsch. Staatsr.* Tom. II. p. 207. sq.

*m*) Legi possunt haec praecidia §. 37. §. 39. pag. 78. in f. sq. et §. 41.

*n*) §. 41. pag. 81. in f.



illa plus iusto extendantur? non sine grauissimis rationibus con-  
trouertitur, non est proferenda *lo*). Sin autem ista conclusa  
ex hoc capite impugnare non vis, dubio caret, quod illa, si in  
rem iudicatum transierunt, aduersariis eandem utilitatem prac-  
sentent, quam ii, qui in alia quacunq; particulari obseruantia pro-  
banda versantur, ab aliorum iudiciorum sententiis vires rei iudi-  
catae adeptis expectare queunt. Sed haec de priore argumento  
sufficiant. Vtrum Augustissimi crediderint, se ius nostrum in omni-  
bus ac in specie etiam in illis coenobiis, in quibus praebendarius  
caesareus nunquam vixit, iure praetendere posse, nil refert. Qui  
enim ius ab altero negatum sibi arrogat, ex eo, quod exilti-  
mat, sibi ius illud deberi, nullum fructum capit, sed legitimum  
titulum sufficienter probare obstrictus est.

§. VIII.

De eo, *an aula caesarea generatim monasteriis mediatis praebendistas laicales obrudere queat?* iam in seculo XVI. disputatum  
fuit, et adhuc disputatur *p*). Quamobrem Consult. BONELLI haec  
de quaestione copiose disseruit. Cum omnia Viri Doctiss. argu-  
menta in breuissimo hoc scripto adducere et de illis sententiam ferre  
non liceat, praecipuas solum rationes commemorare et contra illa  
quaedam monere constitui. Primum argumentum ex litteris ali-  
monialibus caesareis defumtum est, in quibus asseritur, Imperato-  
res posse *cuiuslibet fundationi ecclesiasticae in S. R. I. q*) laicum quem-  
dam eo fine praesentare, vt ipsi alimenta ad dies vitae porrigi de-  
berent.

*o*) Perill. IO. IAC. DE MOSER  
*von den Kaiserl. Regier. Rechnen und*  
*Ersichten* pag. 78.

*p*) Ill. IO. AVG. REYSE. *Teutsch.*  
*Staatskanzley* Tom. V. pag. 2. sq.

*q*) Haec verba occurrunt in litte-  
ris panis caesareis die 17. Iul. 1782.  
expeditis, quas Exc. BONELLI loc.  
all. in appendice sub num. 17. ex-

hibuit. Cancellariae ministri enim  
modo his, modo illis verbis vsq;  
sunt, ceu IDEM loc. all. §. 68. not.  
2. pag. 121. sq. bene obseruauit,  
vbi simul variationes ex diplomati-  
bus adductae sunt.

*r*) Vide haec exempla loc. all.  
§. 76.



berent. Ex generalibus hisce verbis Vir Consultiss. colligit, quod etiam mediata coenobia oneri, de quo iam loquimur, obnoxia essent. Porro V. C. obseruantiam pro se allegat, eamque ad probandam ex protocollo consilii imperialis aulici multa mediata monasteria cet. recenset, quibus imperatores praebendarios praesentassent, et hoc nostra adhuc aetate facerent *r*). Tandem Vir Doctiss. ex actis docuit, quod interdum praelati vnus alteriusue coenobii mediate imperio subiecti, aut etiam Dni territoriales litteris hypostaticis caesareis mox ideo solum, quia monasterium non esset immediatum, mox simul aliis ex rationibus v. c. ob egestatem acriter contradixissent, ad senatus imperii aulici, non attentis hisce exceptionibus, contradicentibus iussisset, vt imperata facerent *s*).

## §. IX.

Quae Viri C. argumenta aliqualem quidem praese ferunt speciem, at tanti ponderis apud me non sunt, vt in illius sententiam transeam. Ex eo enim, quod in litteris panicalibus caesareis statuitur, augustissimo integrum esse omnibus foundationibus ecclesiasticis in S. R. I. praebenditas laicales praesentare, non debes inferre, quod coenobia mediata tales homines recipere teneantur, siquidem huiusmodi formulis, quales cancellariae imperialis aulicae officiales sub Max. I. adhibere coeperunt, et deinde saltim quoad essentiam retinuerunt *r*), nemo per se (§. III.), et tunc praecipue, si inconstantiam consilii imperialis aulici adhuc in seculo XVI in eius conclusis conspicuam *u*) perpendit, plenam habebit fidem. Quod ad

*s*) loc. all. §. 73. §. 78-81. includ.

*r*) Patet hoc ex diplomatibus, quae Exc. BONELLI all. operi sub num. 4. sq. adiecit. Conf. not. q.

*u*) Senatus imperii aulicus in duobus conclusis d. 5. Sept. 1550. et 26. Aug. eiusd. a., quae in Perill. 10. IAC. de MOSER *Abb. verschiedener Rechts-Materien* 5. St. 6. *Abb.*

pag. 186. et 188. inueniuntur, haud inobscure significauit, mediatis foundationibus ecclesiasticis hoc onus imponendum non esse. At Exc. BONELLI loc. all. in appendice pag. 51. conclusum d. 19. Oct. 1555. attulit, in quo amplissimum hoc collegium in omnia alia iuit.

ad allegatam obseruantiam attinet, merito suppono Caesaream Mai, a nominatis monasteriis receptionem praebendarii iure perfecto exigisse et illa mandatis caesareis paruissè, aut in peculiari aliquo documento obligationem, tales homines alendi, diserte agnouissè. Quae omnia si rite se habent, exempla a V. Doctiss. allata non quidem vniuersalem obseruantiam efficiunt, at in probanda speciali obseruantia contra hanc illamue foundationem ecclesiasticam mediatam vtilitatem praestabunt. De praecudiciis adductis quid sentiendum sit, ex §. VII. patet. Manco itaque in sententia, quod fundationes ecclesiasticae mediatæ onus, de quo iam est sermo, suscipere non obligatae sint, nisi caesarea aula speciale fundamentum pro se habeat.


## §. X.

Iam ad quaestionem progredior, *verum praebendista laicali's alimenterum loco pecuniam exigere queat?* Exc. BONELLI x) asserit, quod aulae caesareae tunc, si praebendarius vel plane non, vel saltem non sine magno incommodo in coenobio ipsi assignato commorari et alimenta in natura, vt aiunt, percipere potest, omnino permillum sit, isti fundationi eccles. exsolutionem pecuniae, quam vocant, absentiae iniungere. Praecipuum Viri Consult. argumentum desumptum est ex obseruantia, ad quam demonstrandam partim litteras alimoniales caesareas, in quibus praestatio pecuniae absentiae imperata fuit, partim rescripta, quae exceptiones a quibusdam praelatis contra hasce pecuniarias praestations oppositas pro illegitimis declararunt, in medium protulit. Porro V. C. in eo opinionis suae fundamentum ponit, quod monasteria, si illis in casu supposito pecuniam absentiae denegare liceret, praebendistis laicilibus fructum praesentationis caesareae eripere possent.

B

§. XI.

\*) loc. all. §. 28. sq.



Haec vero argumenta id, quod inde deduci vult, non probant. Ad demonstrandam obseruantiam allata exempla duplicis sunt generis. Mox enim foundationum ecclesiasticarum capita sine contradictione imperata fecerunt, mox autem tunc demum paruerunt, si in via iuris nihil proficere poterant. Quod ad prioris generis exempla spectat, illa, quae ad introducendam obseruantiam specialem necessariis requisitis destituta non sunt, tunc, si de illa contra hoc vel illud coenobium probanda agitur, non sine vtilitate adhibentur. (§. IX.) De posterioris generis exemplis quid sentiendum sit, ex iis, quae supra (§. VII.) dicta sunt, satis patet. Tam ad alterum argumentum deueniendum est. Is, qui ius aliquod habet, illud non pro arbitrio exercere potest, sed in istius exercitio modum legitimum seruare tenetur. Hinc in specie is, cui facultas vnicam modo praestationem exigendi competit, hac contentus esse debet. Si casus fortuitus tale ius legitimo modo exercere per aliquod tempus non permittit, illud durante hoc interuallo quiescit, nec sub praetextu, quod ius istud, si praecise modo legitimo exercendum esset, per aliquod temporis spatium effectu destitueretur, sub vilo iuris colore praetendi potest, vt liceat iure illo plane aliter vti, et in specie loco eius, quod deberur, aliud postulare. At coenobia praebendistis laicalibus tantum alimenta in natura praebere obstricta sunt. Probatio non est difficilis. Ante a. 1552. 3) ministris caef. non venit in mentem praebendariis exactionem pecuniae concedere; sed omnes huiusmodi homines alimenta in natura perceperunt. Obseruantia itaque, quam aula caesarea iuris nostri in-

3) Carolus V. die 5 Febr. 1552 ciuitati Eßlingensi per rescriptum iniunxit, vt cum praebendario, qui propter munus suum ibidem nondum degere posset, super certa

pecuniae summa transigeret. Plura autem exempla ex eodem seculo Exc. BONELLI loc. all. §. 29. not. 2. in medium non protulit.

intuitu tunc temporis pro se habuit, eo vsque solum patuit, vt praebendistae laicales victum et amictum in natura petere possent. Quod autem haec obseruantia vniuersalis per aliam, vi cuius ministris caesar. per modum exceptionis praebendariis, quibus aequitas succurrit, pecuniam absentiae assignare licitum esset, quodammodo mutata sit, nondum est probatum. Inde prono fluit alveo, aulam caesaream, si persona, quae in hoc vel illo monasterio alimenta in natura capere optat, casu fortuito per aliquod tempus non adest, iuris huius exercitium intermittere debere, nec eidem permissum esse, talem, cuius conditio commorationem in coenobio non patitur, praesentare et huic pecuniam assignare.

## §. XII.

Interdum monasteria aliaque pia corpora non solum per breue tempus, sed etiam per 50. 60. 100 et plures annos praebendistam laicalem non alunt. Quaeritur itaque, *an pro hisce non praestitis alimentis pecunia exigi queat?* Distinguendum esse videtur, an coenobio mora in recipiendo praebendario imputari possit, nec ne? Si prius facile largior, caesareae aulae licere pro alimentis, quorum praestatio per aliquod tempus iniuste denegata est, pecuniam poscere. Posterior vero species accuratorem meretur discussionem.

## §. XIII.

Mea ex sententia monasteria, quae citra culpam suam plures per annos praebendistam laicalem non sustentarunt, pecuniam soluere non tenentur. Nam ius caesarum litteras hypostaticas dandi sine dubio in illam iurium classem referendum est, vi quorum quis existente casu quodam ab aliquo certas praestations potest praetendere. z) Is autem, cui tale ius competit, praestations istas iusto

B 2

tem-

z) An hae praestations in propria utilitatem, aut, prout caesarea Maestas ius qu. exercens facit, pro alio poscantur, nil interest.



tempore exigere debet, et, si hoc intra aliquod temporis spatium facere neglexit, pro non exactis praestationibus certam pecuniae quantitatem petere nequit, ceu inter omnes constat. *a)* Quae cum ita sint, aula caesarea, si coenobio per aliquod tempus ab hoc onere immunitatem indulgere non vult, post ultimi praebendistae laicalis mortem alium sine mora praesentare, ac, ut hic confestim diploma caesareum fundationi ecclesiasticae ipsi assignatae offerat, et beneficii indulti perceptionem sibi exspectat decenter, curare tenetur. Quod si per aliquod temporis spatium non fit, ministris caesareis non licet pro alimentis non exhibitis pecuniam postulare. Praeterea sententia mea iuris canonici analogiae conueniens est. Praetendit nempe aula caesarea ius nostrum 1) in monasteriis et quibusdam praeposituris secularibus ex coenobiis in praesentem formam redactis, nec non 2) in proctrophiiis aliisque huius generis piis foundationibus. *b)* Quas praetensiones omnes si agnoscis, per se patet, quod monasteriis, praeposituris secularibus, proctrophiiis etc. nihil imputandum sit, si praebendariis caesareis ea, quae monachi, canonici aliorumque piorum corporum membra pro cuiuscunque constitutione capiunt, sine vlla deductione praestant, siquidem praebendista laicalis a fundatione ecclesiastica, cui praesentatus est, ad summum id poscere potest, quod alii cuidam illius membro ex bonis ecclesiasticis debetur. *c)* Omnes vero nominatae personae ab eo demum tempore, quo more per statuta, obseruantiam et constitutiones pontificum introducto membra suae fundationis ecclesiasticae facia sunt, consueta emolumenta ex bonis ecclesiasticis accipiunt, et ratione temporis praeteriti neque ab illis, neque ab iis, qui istos praesentandi, aut constituendi ius habent,

*a)* L. 7. D. de usu et usufructu et redditu et habitatione et operis per legat. vel fideicommiss. datus. 10. BALTHAS. L. B. de WERNHER. Part. I. obf. 76. Part. VII. obf. 171.

*b)* BONELLI loc. all. §. 67.

*c)* IDEM loc. all. §. 66. et §. 90. Perill. 10. IAC. de MOSER. Teutsch. Staatsr. Tom. III. pag. 431.

benz, nullo sub praetextu et speciatim necesse ex ratione, quia locus per aliquod tempus mero casu vacavit, quicquam peti potest. d)

## §. XIV.

Silentio praetereundum non est, quod Excell. BONELLI e) aliter sentiat. Putat nempe aulae caesareae integrum esse, a coenobiiis, quae forte ultimo praebendario pecuniam, quam vocant, absentiae praestiterunt, eandem summam a die mortis exigere, et reliquis monasteriis exsolutionem quanti alicuius ipsis praescripti iniungere, atque hanc pecuniam successori assignare. f) Ad quam defendendam opinionem 1) adducitur, quod omnia, quae vnum alterumque coenobium, in quo praebendista laicalis per aliquod tempus non vixit, comparcuit, ad pauperes g) praebendarios spectarent, dum monasteria *semper* eiusmodi hominem sustentare, aut eidem pecuniam absentiae solvere tenerentur, atque praesumendum non esset, Caesaream Maiestatem compendium illud, quod coenobia ob defectum praebendistae laicalis fecerunt, iisdem remittere, adeoque aliquid diuitibus donare et pauperibus adimere velle. 2) Vnum idemque esse perhibetur, an monasterium alimenta in natura, aut pecuniam absentiae successiue, vel modicum quantum auersio-

B 3

nale

d) IVST. HENNING. BOERMER. *iur. eccles. potest. L. 3. Tit. 7. Tom. II. pag. 570 sq.* HENR. LINCK. *commentar. in decretal. Lib. 3. tit. 7. §. 6. pag. 402.*

e) loc. all. §. 44. sq.

f) Ex eo, quod praebendistis laicalibus haec pecunia assignatur, non fluit, quod fiscus caesareus nulum in huiusmodi casibus lucrum capiat. Nam camerae Principis etiam tunc utilitas obuenit, si Dni sui iura in commodum bene meritorum et pauperum nimis extenduntur, et hoc modo promerita praemia aut mera beneficia,

proprie ex redditibus cameralibus praestanda, aliis imponuntur.

g) Consult. BONELLI loc. all. §. 53 — 56. recte quidem observavit, quod Caesarea Maiestas non praecise pauperes monasteriis praesentare deberet, at in omnibus praesentem quaestionem concernentibus §phis praebendarios pauperes nominavit, quoties credidit, hanc denominationem argumentis suis praecipuum aliquod robur conciliare. Ne itaque horum argumentorum vim dolose imminuere velle videar, illud vocabulum retinendum esse putavi, ubi Clariss. BONELLI illud adhibuit.



nale continuo praestet. b) 3) Ad obseruantiam prouocatur, siquidem FERDINANDVS II. LEOPOLDVS M. IOSEPHVS I. CAROLVS VI. et VII. in litteris panicalibus praebendariis quibusdam pecuniam absentiae a die mortis antecessoris assignarunt, et coenobia, prout asseritur, sine contradictione imperata fecerunt. i) 4) Imperatori facultas, super aliqua monasteriis aliisque corporibus piis ex bonis suis aut aliunde obuientium reddituum parte in fauorem beneficentiorum pauperum disponendi tribuitur, indeque colligitur, Caesareae Maiestati quoad modum hoc ius exercendi nihil praefcribendum esse. k)

## §. XV.

Non difficilis est ad haec argumenta responsio. 1) Quae hoc illud coenobium, cui praebendista laicalis ab aliquo tempore inde praesentatus non est, comparcui, *generatim* huiusmodi hominibus vindicari non posse, ex iuris nostri definitione, quam omnes, quos legi, scriptores, formant, et Doctiss. BONELLI l) ipse approbavit, per se fluit. Statuunt nempe, quantum mihi quidem notum est, Isti omnes, quod quilibet praebendarius ab illo solum monasterio, ad quod missus est, consuetas praestaciones postulare queat. Quamobrem suspicor, V. C. compendium ab vno alteroue coenobio factum iis, qui postea tali fundationi ecclesiasticae praesentantur, tribuere voluisse, et hanc limitationem casu omisisse. Quod vero Viri Celeber. opinio, etiamsi haec limitatio addatur, bene se non habeat, ex iis, quae mox disputabo, satis apparebit. Quamuis itaque haec mea sententia extra omnem dubitationis aleam posita sit, ideoque argumenta, quae pro tuenda contraria opinione, quod nempe omnia, quae monasteria, in quibus praebendista laicalis plures per annos non vixit, comparcuerunt, generatim ad hosce homines pertinerent, in medium proferuntur, sub examen

vocare

l) BONELLI loc. all. §. 44.

i) IDEM. loc. all. §. 44. in f. vbi in not. 4 — §. exempla ex actis collecta sunt, ex quibus patet, tale

quid nonnullis corporibus piis iunctum fuisse.

k) IDEM loc. all. §. 45. in f.

l) loc. all. §. I. pag. I.



vocare necessarium haud sit, tamen quid ad illa responderi debeat, breuiter adducam. Ad coenobiorum obligationem *semper* praebendarium alendi et pecuniam absentiae soluendi, dissentientes provocare non possunt, quia monasteria non statim post talis beneficiarii obitum ad huiusmodi hominibus porrigi solitas praestationes simpliciter obligata sunt, sed tunc demum, si successor se sinit, et, ut ipsi alimenta praebentur, decenter petit, eiusdem petito satisfacere debent, (§. XIII.) atque caesareum ius, pro re nata alimentorum loco pecuniam poscendi, nondum demonstratum est. (§. XI.) Nec aduersarii coenobiis recte obiiciunt, quod non praesumendum esset, Caesaream Maiestatem compendium ob defectum praebendistae laicalis a quibusdam monasteriis factum iisdem remittere velle. Notissima enim illa praesumptio, quod is, qui certas praestationes ipsi debitas exigere omittit, illas remisisse censetur, optime fundata est. Qui itaque hanc praesumptionem in singula quadam specie cessare statuit, hoc suum assertum rite docere obstrictus est. At probari nequit, quod praesens casus, quo aliquis praestationes, quas a diuitibus pro pauperibus postulare potest, non exigit, ab allegata regula excipiendus sit, dum tale quid in legibus non est dispositum. 2) An alimentorum exhibitio, quae successiue fit, et modici quanti auersionalis solutio continuo peragenda, sint onera aequalia nec ne? nil interest, quia praestatio, ad quam quis obligatus est, illo invito in aliam, licet similem, commutari nequit. m) 3) Ex eo, quod nonnulli Imperatores quibusdam praebendaris in litteris alimoniales pecuniam absentiae a die mortis antecessoris assignarunt, et coenobia, quibus hoc iniunctum fuit, sine contradictione paruerunt, vniuersalis obseruantia non potest excuspi. 4) Ius aulae caesareae super aliqua reddituum fundationum ecclesiasticarum parte in vtilitatem bene de republica meritorum pauperumue disponendi non est illimitatum, sed eo solum patet, quod monasteriis persona quaedam eum in finem praesentari queat, ut illi alimenta in natura suppeditari debeant.

## §. XVI.

Nec minus addere quaedam iuuabit de ista quaestione, *an aula caesarea a coenobiis, ut praebendistae laicalis obitus significetur, iure perfecto praesentari*

m) RENED. CARPZOV, Lib. I. respons. 56.



dere possit, quamvis contra illa speciale aliquod fundamentum allegari et probari nequeat? Exc. BONELLI <sup>n)</sup> aulae caesareae hoc ius tribuit, dum monasteria semper istiusmodi hominum sustentare obstricta essent. Mihi vero hoc argumentum id, de quo iam est sermo, probare non videtur. Nam ius nostrum iis iuribus annumerandum est, ubi aliquis tunc, si certus casus existit, a quodam in fauorem tertii nonnullas praestationes poscere potest. (§. XIII. princ.) Si autem, quibus tale ius competit, ut de eo, quod iam iure suo utendi occasio se offerat, a personis ad istas praestationes obligatis certiores reddantur, in defectu specialis cuiusdam fundamenti, praetendere nequeunt. Oportet potius illos, si ius suum, quoties casus incidit, consecutum exercere volunt, diligenter explorare, an iste existat?

## §. XVII.

Supereff vicina quaestio, utrum a coenobiis, quae caesariae aulae praebendarii mortem indicare neglexerunt, et hac ex ratione ab onere, istiusmodi hominem alendi, per aliquod tempus liberata fuerunt, pro non exhibitis alimentis pecunia exigi possit? Consult. BONELLI <sup>o)</sup> affirmat, siquidem monasteria caesariae aulae obitu praebendistae laicalis nunciare tenerentur, ideoque, si non satisfacerent huic obligationi, dolose agerent, nemini autem dolus prodesse deberet. <sup>p)</sup> Cui vero sententiae ut subscribam, a me impetrare nequeo. Coenobia enim aliaque pia corpora caesariae aulae praebendarii mortem significare obstricta non sunt. (§. XVI.) Hinc prono fluit alueo, quod monasteriis, quae caesariae aulae de praebendistae laicalis obitu certiore reddere omiserunt, dolus imputandus non sit.

## §. XVIII.

Iam huic opusculo, quod nulla alia intentione, quam ut de quaestionibus pertractatis eo facilius ferri possit iudicium, est consecutum, finem impono, et sincere opto, ut omnes intuitu iuris nostri enatae controuersiae mox per amicabilem compositionem decendantur.

<sup>n)</sup> loc. all. §. 95.  
<sup>o)</sup> loc. all.

<sup>p)</sup> L. 12. D. de dolo malo.



VD18

ULB Halle

004 582 101


3



5b. f







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1785, 3

4

DE

ESAREO IVRE

ITTERAS PANICALES

CONCEDENDI

BREVITER DISSERTIT

CHRISTIANVS LVD. DE SCHELLWITZ D.



IENAE

ITTERIS STRAVSSII.

MDCCCLXXXV.

